Vituperatio Pulicis.

XXXI.

Quis quaeso, erat AA. humaniss. vobis animus? quis sensus? quae cogitatio? cum pulicis encomia, quem communis omnium mortalium fama non immeritò damnare solet, ex his suggestibus audivistis rhetoricis coloribus à me delineari, quae inquam cogitatio vobis erat? quod n. ad me pertinet, exploratum omnino habeo, quis mihi tum animus extiterit: Rhetorem enim agere volui, cuius officium esse, ea quae nec umbrâ laudis habere videntur, attamen facundiae verborumque floribus aptissimè inumbrare posse qui ignoret, existimo esse neminem. At verò hodiernâ luce non tam Rhetorem, quàm veritatis defensorem agere decrevi, pulicem enim quem nuper falsis verborum fuco depinxi, nunc veris propriis coloribus rursus denigrare conabor. Interim tamen AA. spectatissimi id unum à vobis exigo, ut animi aequitatem ac benevolentiam, quam in audienda pulicis laudatione exhibuistis, eandem et in illius vituperatione praestare ne gravemini.

[13] Visus hic cometa est anno 1661 circa finem Januarij et initium Februarij, eius cauda versus orientem extensa fuit. mane horâ tertiâ apparere coepit, duravit usque ad quartam et 5tam inspecta in Suevia et Helvetia aliisque Germaniae locis, circa finem studii nostri rhetorici.